

vel ani foramine, solum quod aliquando acridinem seu caliditatem aliquam in illius humoris mucrosi exitu percipit. Sed vna aliquid dignum notatu apparet, quasi vtplurimum talis mucus cum deponitur, inquinatus sanguineis grummis reperitur. Verum aliquando albi coloris, sine sanguinis coloratione, pariter quamuis faeces duras saepius sine sanguineis grummis, & eius coloratione egeruntur. Prater istos affectus alium patitur, qui est rhagadiosa ulcera in podice, satis notabilia profundaque, cum aliquo sint tamen paruo intra foramina ani primum circa intestinum reatum: quae tam maligni fuerunt succi, vt portio aliqua muscoli circulariter excisa fuerit vna cum aliqua duritie circumcirca. Quapropter reliqua illius muscoli circularis pars quodammodo corrugata est, ut quasi prohibeat liberum fecum siccarum exitum. Quod si contingit vt earum exitus impediatur, febre cum rigore corripitur per totum diem perdurante, pariter interuenit febris cum horripilatione seu rigore, vt rectius loquar, cum pulsus aliquali alteratione, & calore aciore, durans tamen vna die, vt videatur esse inter diarias reponenda, nihilo minus tamen cum dicit Galenus primo de Diff. febr. cap. 8. & primo ad Glauc. in Ephem. esse calorem suauem: & istius febris calor mordacior videatur, dicimus putrida esse, eo magis cum systole velocior solito esse videatur. id enim signum est pathognomicum, quod in humoribus accenditur putredo: vt primo de Diff. febr. 9. Nec propterea hoc extra rem erit, si putrida dicemus vno paroxysmo resolui. Ab vlcibus illis vna egreditur humor calidus & fuscus, qui quasi in exitu cutem excoriat. Sunt igitur istorum morborum essentia praesertim maioris momenti, Gallicus morbus cum intemperie calida & sicca: humoris mucrosi per aluum excretio, & vlcera rhagadiosa in ano, quae curanda veniunt. Sed cum Hippocrates dicat lib. de Flatu, Medicum debere locum in quo sit aegritudo cognoscere: locus enim in quo est affectus, facit differentiam curandi, vt & Galen. de Constit. artis medicae, ostendit: videndum igitur in qua parte principaliter sit intemperies ista Gallica dicenda, cum fuerint variae opiniones: quoniam alij cum viderunt arthriticos dolores, principale membrum lapsum esse cerebrum dicebant: alij cum tantam impressionem & malignitatem cognoscerent, cor esse putabant, de febre hectica exemplificando, quae summa difficultate remoueri solet: alij vero cum principaliter infectiones cutis decolorationes perciperent, epar esse attestati sunt, quam nos pro veritate affirmamus, & dicimus Gallica ista luem, seu intemperiem calidam & siccam, venenosam, praecipue imprimi in epate, deinde ad totum corpus per venas propelli, vsque ad membra principalia. Verum istam non adhuc impressam esse cordi nec cerebro proferimus. Quod vero in epate sedem habeat, ostenditur inter caetera, corporis decoloratione, ac alteratione a proprio temperamento, vna cum pustularum seu vlceru depascetium generatione: & per malam totius corporis distributionem, vt iam diximus ex Galeno, dicente ea vitio iccoris contingere. Sed cum ista

A mala qualitas calida & sicca esse possit cum materia & sine materia: asserimus iam primis diebus, cum illustris. Dominus morbo illo corripere, absque materia fuisse: saeuente vero morbi malignitate cum materia redditam esse, quae continuum soluebat, maculando suam naturalem temperiem, & adurendo omnes in eo humores existentes. quae postmodum natura fortis conata est transmittere modo ad cutem, modo ad pedes, modo ad pilorum originem, donec totum infectum sit corpus tali materia, qualis in epate superior reperiatur. In quo cum adesset bilis flaua superabundans, & propter regimen & propriam temperaturam calidam, vna cum morbo calido & sicco, ea superassata & acrior reddita est: idcirco pustulae, vlcera, depilatio, vnguium casus, & alia genita sunt. Humor vero illius mucrosi generatio, quae in loco reperiatur, & vnde veniat, cum dicit Gal. sexto de Loc. aff. non mediocriter conducere ad curationem, scire in qua intestinorum parte consistat vlcus seu affectus: idcirco videndum est an aliquod vlcus super musculum reperiatur, cum excrementa illa mucrosa, seu pituitosa non pauca reperiuntur, quae statim post illius abscessus eruptionem, de quo diximus, incipiunt effluere: ex quo videtur ab aliquo vlcere vel sinu emanare. Tamen videndo quae dicuntur a Galeno 6. de Locis aff. quando de dysenteria sermonem habebat: dicimus nullum extare vlcus supra circulare musculum in recto intestino, quoniam in egestionibus nullus omnino dolor sentitur, nec in intestino nec in ventre. Quapropter si vlcus ibi reperiretur, dolores non pauci interessent, vt Galeni sententia fuit. Praeterea videtur arduum si vlcus adesset, quod aliquando non deciderent vel intestinorum ramenta aliqua, vt fieri solet in huiusmodi vlcibus, quemadmodum Gal. tertio de Causis symptomatum. Insuper tentaretur a vehementi tensione & prompta deiciendi cupiditate, si ibi reperiretur vlcus. Cum igitur nobis non videatur aliud vlcus interesse praeter rhagadas, quae videndum est an a rhagadijs vel a crassis intestinis aut a gracilibus descendat, quamuis nos aliquando similem materiam mucrosam a fistulis ani valde antiquis stillare viderimus, vt a rhagadijs istis prouenire nequaquam affirmamus: quoniam semper in omni excrementorum depositione talis mucus non deijcitur, nihilominus vlcera semper remanent, a quibus si descenderet, aequum esset vt semper aliqua portio exiret, vel aliquo modo portio rhagadijs adhereret, quod adhuc nunquam compertum est, eo magis inde prouenire non credimus: longum enim maior est copia humoris mucrosi exeuntis, quam sit vlcere seu rhagadiarum capacitas. Nec etiam a gracilibus intestinis putamus descendere, ex verbis Galeni sexto de Loc. aff. cum dicit: Si sanguis vel abrasio valde permixta sit fecibus, illud indicat a gracilibus prouenire, quod in nostro casu non euenit, imo statim in primo egestionis talis mucus deijcitur, demum faeces: verum saepius solus absque fecum expulsionem talis humor deponitur, vel propellitur nimia portio stercoris, deinde mucus absque dolore & permixtione vlla, quae omnia secundum Galenum